









DISSERTATIO MEDICA

DE

# ATROPHIA

Q V A M

DEO FAVENTE

PRAESIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. HENRICO MEIBOMIO  
MED. DOCTORE, ANATOMIÆ PRO-  
FESS. PVBL. ORDINARIO, NEC NON  
ARCHIATRO GVELPHICO

DN. PRÆCEPTORE, PROMOTORE, AC MÆ-  
CENATE ETATEM COLENDO

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI  
SUBMITTIT

JOHANN-GEORGIUS HIERONYMI  
RHÛDA-BRUNSVICENSIS

AUTOR ET RESP.

IN MAGNO IVLEO

ADDIEM IX NOVEMB.

HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typ.

ANNO MDCLXXII.

*Nobilissimus atq; Doctissimus Dnus Stattenbach,  
Amicus ac Commensalis meus Honoratissimus, ad hujus  
dissertationis examen publicum humanissime invitabit à*

2214

1672, 10











Q. D. B. V.

DE

# ATROPHIA

THESIS I.



Um decrevissem speciminis Academiciloco in Affectus alicujus naturam, causas & curandi rationem inquirere, talem imprimis eligendum censui, qui & frequenter in praxi occurreret & examine accuratiori dignus esset, ideoque de Atrophia agere decrevi, quæ frequentissima variorum morborum pedissequa non unam semper causam agnoscit, ut rectè prius naturam ejus juxta causarum varietates cognitam habere debeat, qui curandæ manum admoveere velit, frustra aliàs futurus, non sine ægri discrimine, suæque existimationis læsione.

II. Quid autem per Atrophiam intelligamus, illis non potest esse obscurum, qui Græcæ linguæ periti originem ejus attendunt, cessantem nimirum aliquam nutritionem vox ipsa indicat. Et hæc quidem sensu ipso observabilis est. Quamdiu enim vivimus, nutrimur & partibus illis, à quibus ratione suæ constitutionis aliquid abscedere potest, tantum iterum alimenti apponitur, ut in statu suo maneat, ideoque nutritio sensu deprehendi nequit. At cum partibus quidem illis aliquid abscedit, nihil autem apponitur iterum, tum necesse est concidant, consumantur

A 2

& conta-



*Scimus bene nutrimur, illi atrophiam aliquam pati non debent. Sed illi, qui sunt sicco & macro bene nutrimur, & atrophiam patiuntur & per se sanis annumerari quibus. Major patet*

*descriptione, ubi atrophiam dicitur* **& contabescant, id quod sensibus ipsis apparet. Quod vero**  
*nutritio, & ita a. p.* **Græci ἀρροφία, id Latini nutritionis defectum, Germ. Das**  
*terribilitas, qd. tota carnis p.* **Ungedeyen/ das Abnehmen vocant.**

*ut aliq. v.* **III Equidem non omnes homines æquè bene nu-**  
*tm. no. ceres, ita ut* **triri, & multos toto vitæ suæ tempore esse habitu corporis**

*potn aliq. ad huc qd.* **siccio & macro, quotidiana docet observatio, de illis tamen**  
*si ab nutrimento, unde* **non agimus, utpote qui sanis annumerantur. Ne quidem**  
*vivere p. h. & p. m.* **nunc senilem marasimum considerabimus, quia ordinari-**

*est p. h. q. cu. abro.* **um quàm est illi ingravescenti ætati, ut corpus siccius fa-**  
*ut. ut. ob. v. v.* **ciatum extenuetur & concidat, id quod in vetulis tanto ma-**  
*in lacte, ubi in aduo* **gis deprehendere est, quanto humidiores antea faciem ro-**

*in d. ca. a. h. p. h.* **tumque habitum corporis molliorem succulentiorémque**  
*in. p. h. q. d. h. v. h.* **habuerunt. Quamvis autem, uti dixi, de illis extenuatio-**  
*in. q. v. h. v. h. v. h.* **nibus & concidentia partium agere non sit animus, tamen**

*in. g. a. h. v. h. v. h.* **in progressu, ubi de causis Atrophie agendum, erit illarum**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **quoque aliquando mentio facienda, cum causæ non mul-**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **tum sint dissimiles.**

*in. h. v. h. v. h. v. h.* **IV. Uti verò non omnes corporis nostri partes nu-**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **triantur, sic etiam non omnes possunt atrophiam pati. No-**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **tum est, quasdam partes corporis nostri esse humidas, mol-**

*in. h. v. h. v. h. v. h.* **les, uti in primis sunt carnes & pinguedo; alias contrà siccas**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **durasque, uti sunt ossa. De ossibus tamen constat, illa in**

*in. h. v. h. v. h. v. h.* **prima generatione mucosa esse, dein cartilaginea fieri, tan-**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **dem planè ossea, uti quidem aliàs notum, tum hoc vere à**

*in. h. v. h. v. h. v. h.* **Cl. Dn. Præside in examine generationis pulli ex ovo de-**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **monstratum est. Non igitur omnes illæ partes æquè A-**

*in. h. v. h. v. h. v. h.* **trophiam patiuntur, sed molles & humidæ, à quibus tam**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **abscedit continuò aliquid, quàm iterum ab alimento ac-**  
*in. h. v. h. v. h. v. h.* **cedit, ut suo in statu maneant, aut etiam copiosiore adducto**

*in. h. v. h. v. h. v. h.* **alimento aucalescant. *autis vitata cum casis cum atrophiam unes & p. h. v. h.***  
**V. Sed videamus, quid experientia nobis de partium**  
**corporis Atrophia dicat. Cum partes aliæ sint externæ,**  
**aliæ**

*in. h. v. h. v. h. v. h.*

*in. h. v. h. v. h. v. h.*

*in. h. v. h. v. h. v. h.*





alix internæ, de externis, quæ in oculos incurrunt, quoti-  
diana id docet observatio. Internas contabescere, quam-  
vis in viventibus observari, aut certis signis colligi neque-  
at, tamen ex dissectionibus corporum post mortem con-  
stat. De Hepate, Liene, Pulmone, Renibus id observatum  
est. Non quidem certò concluditur, cum tale viscus mi-  
nus solito apparet, id atrophiam consumptum, probabile ta-  
men id est, cum flacciditas simul adest, aut vitium aliquod  
simul apparet, quod atrophix causam dare potuerit. Ita  
Renes maximè imminutos, exsiccatos, obscuros & undi-  
quaquaque tuberculis plenos vidit in Viro, qui propter  
calculum retentâ urinâ obierat, Barth. Eustachius l. de re-  
nibus cap. 45. Pulmonum aridum scirrhisque plenum no-  
ravit Hollerius lib. propr. observ. Vidus Vidius l. 10. c. 10,  
de curat. membr. scribit, se in cachectico vidisse lienem  
ovi columbini magnitudinem non excedentem. Quam-  
vis autem concedat, lienem cum universo corpore con-  
tabescente posse similiter contabescere, tamen non audeo  
dicere, hic lien tam parvus fuerit ab ortu à natura effi-  
ctus, an emarcuerit?

VI. De externis partibus in viventibus id ipsis ocu-  
lis conspiciere licet. Sæpe autem fit, ut totum caput cum  
omnibus suis partibus contabescat, licet in una parte ma-  
jor sit marcor, aut magis observabilis; hanc Atrophiam  
Universalem vocant. Aliquando una tantum & altera pars  
marcescit, reliquis omnibus bene se habentibus, plenis,  
succulentis, porosis. Et prius quidem in Phthisicis & He-  
cticis aut lento morbo consumptis, infantibus quoque tu-  
midum abdomen habentibus observare quotidie licet. Po-  
sterioris exempla itidem non rara sunt. Ita Brachij atro-  
phiam notârunt Hildan. c. 1. obs. 80. Nic. Tulpinus l. 3. c. 49.  
Utriusque cruris in juvene quodam Forestus l. 10. obs. 97.



Et cui non Chirurgorum vel Medicorum talia occurrunt?  
Sed aliquando etiam oculi ita imminuuntur & contabe-  
scunt, ut proportionem suam, quam erga corpus habent,  
amittant. De Testiculis Vidus Vidius junior de curat.  
membr. l. 2. c. 2. id annotavit.

VII. Habet verò Atrophia gradus suos, nam & cùm  
aliquantum marcescit pars, & cùm ad extremum usque  
pervenit, ut corpus nîl nisi ossa & pellis videatur, præ mi-  
sera maritudine, ut verbis Comici utar, nutritionem non  
fieri, dicimus. Quod posterius observavit Symphor. Cam-  
pegius ap. Schenck. l. 2. p. 281 *Corpus, inquit, habebat eâ  
confæderatione cutem maritans ossibus, ut osseus totus nervusq;  
tantum coalitus & compactus videretur, ipsam certè mortis ef-  
figiem illum judicasset: simiam propemodum referebat.* Verùm  
hæc nota satis sunt

II X. Solent porrò illi, qui ita emaciantur, de debi-  
litate virium & lassitudine conqueri ut plurimum, quam-  
vis aliquando contrarium appareat & de suo quoque ex-  
tremè emaciato Campegius l. c. scribat: *Ambulabat satis  
expeditè*, videamusque multis phthificis, valdè extenuatis  
tamen lassitudinem & debilitatem non multum esse mo-  
lestam. In scorbutica Atrophia languorem illum inpri-  
mis observat Eugalenus de Scorb. p. 163. Quin apud Fo-  
restum l. c. juveni ambo crura atrophiâ affecta resoluta quo-  
que quodammodo visa, ut in lecto continuo detentus, ne-  
que pedibus amplius insistere, neque ambulare potuerit.

IX, Contingit etiam aliquando, uti simul articulis  
exsiccatis ossa inter eundem collisa strepitum aliquem fa-  
ciant, quod de suo notat memoratus Campegius: *inter  
ambulandum ossa mutuo contactu concrepitare audiebantur, per-  
inde, ut arida nucum testula cùm attrahantur.*

X. Præterea non omnis Atrophia æquè citò acce-  
dit,



dit, sed quædam tardè satis & lento gradu, alia citò, ita, ut intra paucos dies planè emarcuisse corpus, observemus, id quod fit pro diversitate causarum, tardè quidem per longos morbos febresque lentas, citò verò, si acutissimæ febres, si magnæ & subitæ evacuationes, aliæque vehementes causæ ansam dederint atrophix.

XI. Dolor cum atrophia, nisi per accidens, non conjungitur. Lubenter enim fateor, posse aliquando contingere, ut ratione causæ, quæ atrophiam inducit, in partibus oboriatur dolor nunc major, nunc minor. De tensivo aliquo dolore in artubus aliquando conqueruntur planè exsiccati & tabidi, sed nec id perpetuum est.

XII. Omni autem ætati tabem esse communemprehendimus & senibus & juvenibus & infantibus quoque, in quibus quidem tanto facilius id observare est, quanto aliàs magis nutriuntur & augentur. Valde autem familiaris illis est: quin tabem Rachiticam pueris contingere, non item adultis, ostendit Glissonius l. de Rachit. p. 204. & seqq.

XIII. Videamus autem morbos illos, cum quibus conjungi & quos sequi solet atrophia, hoc enim ad causas dein reddendas plurimum juvabit. Ventriculum autem in illis laborare, frequenter admodum videmus, sive appetitus deficiat, ut non assumantur alimenta, sive ea non retineantur & vel suprà, ut in vomitu, rejiciantur, vel antequam cocta expellantur ex ventriculo, ut in Lienteria, vel cocta quodammodo cum fæcibus nimis citò excernantur, ut in Cæliaca passione.

XIV. Febris diu durantibus, ut quotidianis, quartanis, omnibusque ferè lentis comitem esse solere atrophiam, docet quotidiana observatio. Imprimis verò in febris, hecicis dictis, ordinarium est, ut corpus concidat &  
xtre-



extrema tandem siccitas tabesque inducatur. Quæ ipsa, uñ  
notissima, exemplis illustrari non merentur.

XV. Videmus verò præterea Scorbuto laboranti-  
bus sæpe etiam supervenire maciem totius corporis, uti  
Sever. Eugalen. l. de scorb. observ. 34. & 35. & alibi p. 159.  
elegantè docet, ubi simul ea monstrat, quæ hæc atrophiam  
habet peculiaria. Nec minus lvi veneræ supervenire a-  
trophiam docent, qui de illa exactius quid annotârunt,  
habenturque exempla apud Solenandr. sect. 5. consil. 15. Ro-  
deric. à Fonseca t. 1. conf. 40. & t. 2. conf. 62.

XVI. Quod, ulceribus in pulmonibus existentibus,  
atrophiam ut plurimum solet oriri, docent tot Phthisi-  
ci extremè emaciati, quamvis aliquando possit alicubi in  
pulmone esse ulcus, nec tamen hætenus tabidum obser-  
vetur corpus. Quod verò etiam ab ulceribus in aliis par-  
tibus, in pedibus quoque & brachijs, si diuturna sint & ma-  
gna, nunc totalis, nunc partialis oriatur atrophiam, experi-  
entia similiter docet.

XVII. Quamvis autem sæpe illi affectus manifesti  
sint, tamen sæpe aliquid in corpore latet, quod atrophiam  
causam dedit, ideoque meritò huc ea advocantur, quæ se-  
ctione facta in corporibus deprehensa sunt. Sunt autem il-  
la non unius generis. Aliquando in ventriculo tumor a-  
liquis & abscessus est, uti in exemplo Foresti lib. 18. observ.  
32. & Camerarii apud Schenck. l. 3. obs. p. 380. Sæpe quo-  
que illis pylorus occluditur, ut egredi nihil è ventriculo ad  
intestina possit, id quod hîc aliquando vidit Excell. Dn.  
Præses. In mesenterio, glandulisque ejus frequenter quo-  
que abscessus & duri scirrhusique tumores sunt, quod in  
infantibus imprimis atrophiam laborantibus per frequenter  
observare licet, quibus dum reliquum corpus aridum pla-  
nè est & emaciatum, venter tamen tumidus durusque ma-  
nct,



net, quin in illis adhuc viventibus duros illos & circumscriptos tumores tactu licet deprehendere, cum in abdomine muscoli superjacentes similiter extenuati vix membranam aliquam referant. Quale quid in adulto quoque notavit Th. Kerckring. obs. Anat. 18.

XIIX. Pulmones in tabidis frequentissime deprehenduntur nunc tuberculis obsiti, materiam purulentam in se continentibus, nunc ulceribus varijs late se diffundentibus, & totos pulmones depascentibus. Quamvis enim aliquando in non tabidis hæc quoque, ut notat modo laudatus Kerckring. obs. 72. deprehendantur, rarius tamen hoc observatur & multa possunt intervenire, quò minus statim tabes se exerat: Neque verò in pulmonibus tantum, sed & alibi hærentes abscessus suppurationesque in hepate, mesenterio &c. in tabidis invenimus.

XIX. Quòd si jam porrò causas externas & procatarticas videamus, varias itidem eas deprehendemus. Qui cibi nihil aliquandiu assumunt, tandem in atrophiam incidant, necesse est; Qui verò nimis calidis & siccantibus utuntur, aromatibus in primis, & vinis calidis, eandem sibi ipsis inducere possunt. Quod & à medicamentis calidioribus frequentius & intempestivè usurpatis fieri potest, & de Theriaca notavit Zacut. Lusit. prax. Med. l. 4. hist. 42.

XX. Quin aër calidissimus tabem quoque possit, insuetis in primis, & contra illum se non munientibus, inducere, nullum est dubium: videmusque, illos, qui loca calidiora & meridionalia inhabitant, corporibus longè siccioribus & macrioribus esse, si cum septentrionalibus & frigidorum locorum incolis conferantur.

XXI. Per animi quoque affectus atrophiam posse induci, experientia docet: Inprimis mœror, sollicitudines, vigiliæ hîc plurimum valent, & jam tum verè di-

B

am



Atum est: *Atenuant juvenum vigilata corpora noctes.* Plurimum verò amor quoque in hanc rem potest.

XXII. Post magnas quoque sanguinis evacuationes subitanea sæpe oritur macies, ut & post nimias diarrhæas, post urinæ profluvia feminisque: nam & diabetis & gonorrhææ diuturnæ comitem maciem experientia ostendit. v. Tulp. l. 2. obs. 46.

XXIII. Particulares Atrophias videmus in primis post vulnera, casus, contusiones, compressiones, fracturas, luxationesque contingere, possuntque hujus rei varia exempla suppeditare nobis Chirurghi, à quibus etiam inter ea, quæ partium externarum gravissimas læsiones ordinariò sequuntur, symptomata refertur. Sæpe tumores aliqui & concrementa ad vasa sanguinea jacent, per-

*Si nervi dissecti de-  
nere facit nutritionem  
segr. integrum facere ad  
nutritionem & ferre ad  
illud. d. abunde e. p. 33  
e. p. 33. g. sequ. p. 33  
t. 3. 29. magna sanguinem  
nutritionem plurimum  
undam, nec m. h. nutritionem  
d. reficere nro. p. 33. 33.  
t. 3. 29. hoc ipso in p. 33.  
p. 33. 29. d. p. 33. 33.  
p. 33. 29. d. p. 33. 33.*

que illa liberum sanguinis motum impediunt. Vide Plateri observationem de tumore in genu lib. 1. Dissecto nervo sub vena delitescente atrophiam brachij abortam notavit idem Platerus lib. 1. observ. & Gualt. Charleton Oeconom. Animal. Exerc. 10.

XXIV. Sæpe etiam humor aliquis vitiosus in partem quandam decumbens debitam ejus nutritionem impedit, & aliquando in pluribus partibus hoc contingit, aliquando in una aliqua. Ita post abscessus fit, ut in exemplo Tulpij lib. 3. c. 49. estque valdè notabile, quod observavit Hildanus cent. 1. obs. 81. post pituitosum tumorem circa cubitum resolutum atrophiam brachium fuisse correptum. Ubi ulcus diu in parte aliqua hæret, sæpe macies oboritur, id quod illi quoque nonnunquam deprehendunt, qui fonticulos in pedibus brachijque gestant.

XXV. Enumeratis ita omnibus, quæ circa Atrophiam per sensus habere licet, jam causam ejus indagare par



par erit. Necessè tamen est, ut hîc primò quædam proponamus de Nutritione, quamvis illa alibi plenius explicentur. Nimirum nutritium succum omnem cum sanguine ad partes accedere & ita massam sanguineam pro nutrimento partium omnium habendam, omnino arbitramur. Sanguis autem ille, nisi per arterias, ad partes accedere nequit, quæ quidem omnibus etiam obtigêrunt.

XXVI. Equidem cum partes quasdam corporis rubicundi coloris, alias albas cernerent, nonnulli censuerunt, rubras quidem illas sanguine, albas verò chylo nutriti. Non videntur verò illi colorum cum in corpore, tum extra corpus tam faciles mutationes satis perpendisse, aliàs impossibile non fuisset visum, sanguinem rubrum, ad partes albas accedentem, colorem suum deponere, partiumque proprium assumere.

XXVII. Ne de vijs nunc dicam chyli ad partes spermaticas, quas hætenus ostendere nemo potuit. Quamvis enim nonnulli vasa lactea, quæ in Mesenterio & ad Receptaculum chyli sensus ostendunt, ulterius quoque ad partes quasdam deducere voluerint, fecerunt tamen hoc ipsum invitâ naturâ, & tam facilè assertiones illorum rejiciuntur, quàm proponuntur, donec certis experimentis veritas pateat.

XXIIX. Alij per nervos deduci ad partes succum nutritium censuerunt, quæ sententia plurimis ex eruditissimis Anglorum Medicis valdè arrisit. Neque tamen hujus rei idonea argumenta attulerunt, cum paradoxo illi reclamet nervorum constitutio, qui cavitatem sensibilem nullam habent, nec videntur proinde continere posse tantum materiæ, quantum restorationi partium necessarium est.



XXIX. Ut autem nutritio rectè fiat, necesse est, ut sanguis justâ copiâ generetur, & in corpore sit, dein rectè sese habeat, & ad partes quoque nutriendas adducatur, & denique partes quoque ipsæ rectè constitutæ sint, ut recipere sanguinem advenientem eumque in sui nutrimentum convertere possint. His aliter se habentibus sequitur atrophia, uti jam distinctè explicabitur.

XXX. Debet primò sanguis justâ copiâ generari & in corpore esse, ut nutritio partium fiat, id quod fortè alicui paradoxum videbitur, cui per experientiam constat, in extremè emaciatis dissectis sanguinem tamen in vasis sanguineis reperiri. Verùm (ne nunc opponam illud, quod miraculo simile de Mutio Medices, hectica febre mortuo, scribit Joh. Argenterius comm. in lib. Galen. de febr. ad Glaucon. l. i. c. 2. p. 2373. *in cadavere ne guttam quidem sanguinis in venis esse reperiunt*, nec ex Tulpio l. i. c. 44. arterias cervicalem & crurales inanes, cum in arteriis id rarum adeò non sit) etiamsi sanguis adhuc aliquis in vasis reperiatur, ille tamen, quia chylo novo accedente non irrigatur, vim nutriendi non habet.

XXXI. Hæc ratio est, cur per inediam emacietur corpus, sive appetitus deficiat, sive alia sint impedimenta, cur assumi cibus nequeat, uti à tumore colli circa gulam glandulisque œsophagi tumidis denegatum cibo omni ingressum, subsecutamque extremam maciem notat Tulpius l. i. c. 44. Ita per vomitus, diarrhæas, lenteriam, cæliacam passionem impeditur nutritio, quia chylus nullus ex intestinis in lactea intrat. Quod etiam contingit aliquando, cum nimiam crassam & viscidam pituitam obducta sunt intestina, & proinde orificia lactearum obstructa, ut transire in illa chylus non possit. Quin licet in ea aliquid met, si glandulæ mesenterij non rectè sese habeant, tumidæque



que & malè præter naturam affectæ sint, distributio chyli  
 versus receptaculum fieri nequit, & atrophiam succedit, uti  
 fieri, supra in historia docuimus. Fortassis etiam sæpe  
 vitium est in reliquis post mesenterium lacteis, recepta-  
 culo chyli, ductuque thoracico, quia tamen id certis ha-  
 tænis indicijs non innotuit, prætermitto. Magnæ dein  
 sanguinis profusiones aut aliæ evacuationes, quæ ex mis-  
 sa sanguinea fiunt, urinæ seminisque profuvia hoc mo-  
 do atrophiam inducunt.

XXXII. Debet secundo rectè sese habere sanguis,  
 ut nutrire possit. Hic quidem difficile dictu est, qualia  
 sit illa sanguinis apta ad nutritionem dispositio, cogimur-  
 que hic probabilibus niti: sæpe tamen vitia sanguinis in  
 illis, qui atrophiam laborant, admodum manifesta sunt.  
 Vulgò ajunt, dulcia valdè nutrire, & in ipso quoque san-  
 guine dulcedinem aliquam requirunt, si nutrire debeat.  
 Sunt autem ea, quæ dulcia vocantur in magna latitudine,  
 sæpeque sub ijs comprehenduntur, quæ saporem nullum  
 eminentem habent, quæ temperata sunt, qualia quidem  
 in primis nutrire, extra omne dubium est. Sanguis igitur  
 temperatus nutrit quoque. Quod si ille acris sit, si acidius-  
 culus, si salsus, ad nutritionem ineptus fit. Et hæc causa  
 est, cur illi, qui ulcera magna habent, qui scorbuto, vel lue  
 venerea laborant, qui salsis multis & eminentem saporem  
 habentibus utuntur, tandem etiam in atrophiam incidant.

XXXIII. Præterea necesse est, sanguis visciditatem  
 & lentorem aliquem habeat, ut partibus apponi rectè pos-  
 sit, quibus quidem si careat, nec nutritio rectè fit. Uti qui-  
 dem videmus in illis contingere, quibus chylo novo non  
 irrigatur sanguis, quibus per fermentationes præternatu-  
 rales nimis attenuatur vel colliquatur. Cujus exempla  
 hæctici nobis præbent, Eadem verò causa est, cur qui-

B 3

dam

*Quod nutritio in illis  
 pedet, & nutritio  
 sed viscidus sanguis  
 E. M. p. yb.  
 sanguis in viscidis  
 regreditur, circulate  
 tam sanguis agitatur  
 potest adhaerere, &  
 ob id nutrem facere  
 abijcenda & nutritio  
 de atrophiam inducunt  
 præterea plures ita  
 observantur, insidua  
 & nutritio, & in atrophiam  
 si. m. d. p. yb. d. m.  
 p. l. u. t. a. obijcunt, & in  
 lactea & atrophiam inferat.  
 nutritio in potibus venas & arterias  
 si adhaerere, qui ceteris pter.*

*Quod nutritio in illis  
 pedet, & nutritio  
 sed viscidus sanguis  
 E. M. p. yb.  
 sanguis in viscidis  
 regreditur, circulate  
 tam sanguis agitatur  
 potest adhaerere, &  
 ob id nutrem facere  
 abijcenda & nutritio  
 de atrophiam inducunt  
 præterea plures ita  
 observantur, insidua  
 & nutritio, & in atrophiam  
 si. m. d. p. yb. d. m.  
 p. l. u. t. a. obijcunt, & in  
 lactea & atrophiam inferat.  
 nutritio in potibus venas & arterias  
 si adhaerere, qui ceteris pter.*





damcibi potusque nutriant, alij non item. Quòd nonnul-  
læ cerevisiæ, uti in primis triticeæ & quæ lupuli multum  
non habent, nutriant, docent pingues illorum aqualiculi,  
qui quotidie ijs, ultra satietatem quoque, se imbuunt, non  
aliâ tamen de causâ. Quin si conferamus inter se vinibibos  
cum cerevisiæ potoribus, longè rectius posteriores illos  
nutriri, deprehendimus, quoniam vinum, quod subtilium  
partium est & ignearum, sanguinem sibi similem longo  
usu reddit, unde calefit corpus & exsiccat potius, quàm  
ut debitè nutriatur, ceu ea omnia præclarè ostendit Vir  
summus, Hermannus Conringius, Fautor & Præceptor  
noster summè colendus, in eximio de habitus corp. Germ.  
causs. libro p. III. Inter ipsa tamen vina differentia est, nec  
negandum, quædam dulcia, quæ minus acres & quasdam  
etiam viscidas partes habent, vim nutriendi aliquam ha-  
bere. Quò verò major in illis est acrimonia, linguamque  
non tam demulcent, quàm feriunt & pungunt, eò nutri-  
unt minus: Acetum verò minimè. Quòd notabili exem-  
plo Chiappini Vitellij, Cætonæ Marchionis, apud Fami-  
num Stradam de bell. Belg. dec. 1. l. 8. confirmatur, qui,  
cùm obesissimus esset, vino sibi sponte interdicto, acetum  
bibere ad vitæ usque finem instituit, decrevitque ad se-  
ptuaginta pondo. Inductam hinc à continuo aceti potu  
aliquam in sanguine acrimoniam, suspicari utique licet,  
quamvis interdum aliade causa evenire possit, ut nec ace-  
rum nimium incrementum possit prohibere, quod de  
Tarvisina nobili matrona notat Alex. Benedictus Pract. l.  
14. c. 22. eam, cùm avidius acetum biberet, ea aviditate  
pinguiorem redditam. Sed hæc in Diæteticeis pluribus  
explicantur, quamvis ad hujus rei illustrationem non pa-  
rum faciant.



XXXIV. Quæ verò causa sit, cur in quibusdam nutriantur rectè carnes, contabescat pinguedo, in alijs verò contabescat caro pinguedine integra & luxuriante, quod quodammodo oculis ipsis contueri licet, & per sectiones cadaverum in primis se deprehendisse, refert Ampliff. Dn. Præses, obscurum est; videtur tamen, id à peculiari sanguinis dispositione dependere, quæ in illis, quibus pinguedo luxuriat, ad pinguem & oleosam magis accedit, & sine dubio ab alimentis quoque ortum suum habet, cum videamus, in nonnullis locis pingues & adiposos plures reperiri, quàm in alijs.

XXXV. Tertio loco dixi, sanguinem ad partes nutriendas rectè quoque debere adduci. Etiam si enim ille sit in corpore & quàm optimè sese habeat, nisi tamen rectè ad quamlibet partem moveatur, nutritio non fit. Id tamen in toto corpore non ita observatur. At particulares atrophix frequenter ea de causa fiunt, ceu supra th. 24. dictum. Sicut enim videmus, factis fortibus in parte aliqua ligaturis brevi partem marcescere, id quod periti aliquando Chirurghi studio ad præternaturale incrementum tollendum faciunt, imperiti verò ex incuria in fracturis luxationibusque curandis: sicut, inquam, ibi nihil aliud fit, quàm ut sanguinis influxus naturalis in partes impediatur, ita & alia possunt sanguinis motui impedimenta objici, tumores nempe ad majores arterias, qui illas comprimunt, aut vasorum abscissiones, per quas sanguis aliorum sibi viam quærere cogitur. Possunt, qui attendunt, in illis, ex hac causa atrophia laborantibus, pulsum debiliorem observare, & notabile est, quod magnus ille Sphygmicæ artis post Galenum magister, Josephus Struthius lib. 2. c. 4. de milite notat, cui semper deficiens  
ia



in carpo pulsus sine ulla reciprocatione propter dissectas arterias. Potest etiam contingere, ut sanguis versus unam partem fluat copiosius, & ita alteram destituat, quæ inde contabescat; Quam in rem multa egregia proponit Richardus à Lower. lib. de mot. cord. c. 2. p. 114.

XXXVI. In quantum verò ad nutritionem influxus per nervos faciat, non immeritò quæritur. Illis enim dissectis atrophiam obortam supra th. 23. notatum est. Non tamen arbitror, inde posse colligi, succum nutritium ipsum per nervos deferri, nec hoc existimat Cl. Willis Anat. cerebr. c. 20. plerisque popularibus suis hîc contrarius, sed potius, succum illum nervosum subtiliorem & spirituosorem actuare arteriosum sanguinem ac ad nutritionem aptum reddere. Videtur verò mihi spirituosi illius per nervos ad partes affluxus ad partium singularum temperiem pertinere, ut hinc partes illo destitutæ ineptæ ad suscipiendam quoque nutritionem reddantur.

XXXVII. Denique dixi, partes ipsas debere rectè esse constitutas, ut suscipere nutritionem possint. Si nimirum pars intemperiem frigidam, quacunque de causa, contraxerit, quod & ab externis injurijs fieri potest, & à decubitu humoris diuturna quæ in parte aliqua mora, uti th. 24. ostensum. Si compacta, exsiccata & contracta nimis pars fuerit, ut in poros suos nutrimentum adveniens non admittat, necesse est atrophia oboriatur. Ad hujus rei illustrationem faciunt ea, quæ de pinguedinis in animalibus augmento docet experientia. Iam tum Aristot. lib. 8. hist. an. c. 7. & Plinius l. 8. c. 45. docuêrunt, boves pinguescere lavatione calidæ aquæ, & si quis incisa cute spiritum arundine in viscera adigat. Laxitas nimirum hinc paratur & spatium pinguedini sese extendendæ datur. Quo-



Quomodo videmus illos, qui balneis dulcibus frequenter utuntur, habitu corporis laxiore reddito valde pingue fieri, quod egregie observavit de mulieribus Ægyptiis, pinguedinem maxime amantibus, & studiosè procurantibus, Prosper Alpinus lib. 3. de Med. Ægypt. c. 15. & 16. Videturq; veterum mangonum in curanda cute artificium in similibus constitisse.

XXXIIX. Et ita quidem existimo, me manifestas reddidisse causas atrophie, poteruntque alie omnes ad has nullo negotio reduci. Signa autem atrophie partium externarum non est, ut proponamus, cum in sensus ipsos illa incurrant: Internæ verò qui prodiderit, hactenus inventus non est. Quibus verò de causis atrophia orta sit, id potius per signa diligenter colligendum est. Ideoque & in procatarticas causas studiosè inquirendum, & qui antecesserint vel conjuncti adhuc sint morbi; in atrophia quoque à denegato influxu sanguinis orta, pulsus, in parte emaciata debilior, indicium dabit.

XXXIX. Quod prognosin in hoc morbo attinet, sæpe quidem per morbos nonnullos abortam atrophiam sponte cessare, videmus, & mox, redeunte in convalescentibus appetitu, pristinum quoque corporis habitum redire; Quin imò illos, qui antea atrophiam laborarunt, sæpe post febres curari ab ea, videmus, & non nutriri tantum, sed augeri quoque. Uti planè memorabile exemplum est apud Joh. Wierum in obs. p. 42. de virgine, quæ post quartanam in giganteam penè magnitudinem excrevit. Aliàs medicamentis opus est. Sed uti ratione causarum & conjunctorum morborum admodum variat atrophia, ita quoque curationem nunc facile recipit, nunc difficulter, aliquando planè eludit. Quæ enim phthisin,  
C  
ulcera



ulcera interna, febrem hecticam, scorbutum, luem veneream sequitur, illa difficillima est curatu, uti ipsi illi morbi ope Medica vix curabiles sunt, nisi inter initia: Atrophia verò, morbo jam inveterato, demum apparet. Ubi etiam in mesenterio aut alibi tumores tales sunt, qui tolli difficulter possunt, atrophia quoque non tollitur. Et uti in aliis quibusvis morbis, ita hinc quoque se res habet, ut primùm accedens curari facilius possit, successu verò temporis, ubi vires acquisivit eundo, vel difficulter vel planè non possit.

XL. Quæ totum corpus occupavit, illa longè difficilior curatu est alterâ, quæ unam tantùm aliquam partem afficit, quæ, nisi valdè inveterata, medicamentis ut plurimum tollitur. Ratione ætatis etiam hinc differentia quedam est, nec seni, atrophiâ laboranti, temere promittere sanationem Medicus debet.

XLI. Vera & ex arte instituta curatio ratione causarum admodum variat. Et quidem ubi morbi conjuncti sunt, qui atrophiâ induxerunt, illorum meritò habenda est ratio, utpote sine quibus non cessat illa. Ideoque nec in phthisi aut hectica quis speret, se posse tollere atrophiâ, nisi ipsis morbis sublatis, quorum tamen curationem hoc loco non tradimus, aliunde petendam. Ita & in illa, quæ per febres lentas oritur, ad febrem primò respicimus, qua curata ad illam, quæ per febres aliquando introducitur, dispositionem morbosam. In Scorbutica & Gallica Atrophia similiter debitis, & hinc pluribus non explicandis, remediis morbis ipsis occurrendum est. Idque meritò ex Eugaleno l. de scorb. c. 33. monemus, non esse atrophiâ scorbuticam eo modo curandam, quo aliæ nonnullæ solent, quæ ab æstuante calore  
veni-



veniunt, medicamentis nimirum refrigerantibus & humectantibus, sed incidentibus potius & attenuantibus, aliisque Antiscorbuticis vulgò dictis, hoc est, quæ miasma scorbuticum per urinam sudoremque expellunt. Non possum etiam non in his modò enumeratis atrophijs, Nobiliss. Dn. Præsidis experientiâ imprimis, commendare Radicis Chinæ decoctum. Quamvis enim illa, quia sudores movet, ab iis, qui artis usum non habent, & symptomata potius, quàm causas in curando respiciunt, noxia marcescentibus videri possit, tamen notum satis est, quantum vim radix illa habeat in plerisque morbis modò enumeratis, quæ atrophiam inducunt, curandis, & docet experientia, eam radicem hoc habere peculiare, ut, dum sudorem movet, nihilominus habitum corporis reddat pinguiorem.

*Si radix china sudorem movet, sed eam in atrophiam esse adhibendam, atque non e. pr. & p. q. Consequenter probat, quod sudores admod. q. debilitat, & p. q. ad nutritionem faciem tollunt, ut supra de nervis statuit, q. faciunt ad nutritionem, ut dum videri, ut probat, q. pinguiem dimigantem, alias q. faciem. Dn. m. o. p. in o. b. q. a. h. g. d. d. t. a. v. a. a. p. t. u. r. t. u. r. v. i. d. u. r. v. a. s. a. l. a. t. e. a. q. a. l. i. q. u. a. s. t. u. n. c. p. a. r. u. m. e. u. b. i. n. o. v. a. b. i. t. n. e. q. u. i. p. a. u. l. a. a. n. t. e. d. i. p. o. t. o. l. l. e. r. e. p. t. i. s. i. n. f. e. b. r. e. d. s. i. m. i. l. i. t. u. r. c. u. m. h. u. a. n. t. e. c. e. d. e. n. t. e. s. e. a. u. p. p. r. i. o. r. t. o. l. l. e. d. a. p. t. u. h. u. o. r. q. u. i. n. o. i. b. h. i. e. n. u. m. e. r. a. t. i. s. v. a. r. i. e. a. t. r. o. p. h. i. s. p. r. o. p. t. e. s. t. h. u. b. r. e. d. y. p. r. i. a. m. v. i. d. u. i. t. a. t. e. m. d. u. m. n. u. t. r. i. t. & a. c. c. r. e. d. i. n. e. m. a. b. i. t. o. l. l. i. s. p. i. d. u. i. d. a. m. u. s. i. d. a. m. a. l. i. u. m. i. n. i. s. t. r. i. g. t. e. n. t. a. m. q. u. i. d. u. r. e. m. m. o. v. e. d. H. u. m. i. d. i. t. a. t. i. b. u. s. y. p. o. t. i. s. u. t. a. u. d. u. m.*

**XLII.** Porro causas procatarticas omnes, quæ Atrophiam videntur induxisse, sive sit aër, sive cibus & potus, sive Venus, sive animi affectus, sollicitudines, curæ, vigilæ, diligenter removeamus. Sed hæc clariùs patebunt, si juxta causarum, quas antea enumeravimus, rationem procedamus.

**XLIII.** Primò igitur illis, quibus sanguis in debita copia non generatur, cum non una de causa id fiat, diversimodè etiam succurrendum est. Si in ventriculo malum, si appetitus nullus, si concoctio non rectè fit, si chylus non distribuitur, & vel citò nimis evacuetur, vel penetrare per loca debita nequit, postquam hæc omnia suis signis rectè dijudicata sunt, remediis convenientibus, apud Practicos ubique exstantibus, curanda sunt. Non infrequenter enim contingit, ut, qui propter maciem, si præsertim levis aliqua tussis accedat, judicantur verè esse

*radix china calefacit & secat, ergo potius in g. r. u. m. a. y. e. s.*

**phthi.**

*radix china potest esse g. r. i. a. m. v. i. d. u. i. t. a. t. e. m. d. u. m. n. u. t. r. i. t. & a. c. c. r. e. d. i. n. e. m. a. b. i. t. o. l. l. i. s. p. i. d. u. i. d. a. m. u. s. i. d. a. m. a. l. i. u. m. i. n. i. s. t. r. i. g. t. e. n. t. a. m. q. u. i. d. u. r. e. m. m. o. v. e. d. H. u. m. i. d. i. t. a. t. i. b. u. s. y. p. o. t. i. s. u. t. a. u. d. u. m.*



phthifici & exulceratum pulmonem habere, dein deprehendantur, ventriculum & intestina malè affecta habere, & stomachicis remediis curentur. Puerorum atrophix, quæ cum tumido ventre sunt, adhibitis diligenter emollientibus externè, internè verò aperientibus, non ita difficulter solent curari. Quando verò à nimis evacuationibus sanguinis in corpore iusta copia imminuta est, nutritivusque in eo succus deficit, tum diæta plena institienda est, & quidem ex cibis boni succi, facilis coctionis, pauci excrementi, jusculis in primis carniû consummatis, ovis &c. quæ in diæteticis plenius docentur. Uti enim ridenda meritò Ægyptiarum fœminarum in procuranda sibi pinguedine, ab Alpino l. c. curiosè memorata, sollicitudo, dum præter alia, pinguedines & olea tam ore assumunt, quam per clysteres injici sibi curant, & externè inungunt: ita nemini vitio verti poterit, si invisam maciem, quæ & alia subinde mala secum ducit, tollere conetur.

XLIV. Secundo loco jam videamus, quomodo sanguinis mala dispositio, atrophix frequentissima mater, tolli possit. Debemus autem signis primùm diligenter colligere, quantum quidem possibile est, quale sit sanguinis vitium, deinde etiam experientiam consulere, quæ, non uno modo corrigi, vel ex corpore propelli malos illos humores, docet. De phthificis, de scorbuticis, in quibus ab acriori sanguine & saliori atrophia oritur, jam tum supra dictum est. Eugalen. l. c. p. 170. in scorbutica atrophia valde commendat lactis caprini usum, qui ad alias quoque atrophias phthificorum eorumque omnium, qui acrem habent sanguinem, extendendus est, duce hîc iterum experientiâ, ratione verò itidem manifesta.



festa. Cùmque ad sanguinis vitia tum inducenda, tum  
 corrigenda longè plurimum valeat cibus & potus, utpo-  
 te quo quotidie utimur, iamque tum suprâ dixerim, à ni-  
 mio salforum usu, aromatumque immoderato usu, ca-  
 lidorum quoque vinorum, posse atrophiam oriri, non  
 tantùm ab illis abstinendum, sed contraria planè diæta  
 erit instituenda, quâ non minus, quàm medicamentis curari  
 potest. Emulsiones ex seminibus frigidis valdè com-  
 modæ videntur, quia & sanguinis fervorem acrimoni-  
 amque temperant, & propter vim aliquam diureticam,  
 quâ pollent, salfos quoque acresque humores per uri-  
 nam ejiciunt. Glycyrrhizam, passulasque valdè commen-  
 dant nonnulli. De Gammatis, cancris marinis, squillis,  
 res notior est, quàm ut referri debeat, merenturque legi,  
 quæ diligenter congescit Sachsus gammatol. l. 2. sect. 2.  
 c. 4. De cochleis, testudinibus, ranis, alii. De tabe, ostre-  
 orum crudorum esu sanata, notabile exemplum est apud  
 Tulpium l. 2. observ. c. 8. Inest enim his omnibus suc-  
 cus viscidus, qui egregiam vim deliniendi acres illos hu-  
 mores habet.

**XLV.** Si à vitio nervosi generis videtur ortus  
 marcor, non inconveniens erit, illa, quæ in affectibus ce-  
 rebri spinæque experientia commendavit, adhibere; Vide  
 quæ de emplastrorum cephalicorum in phthisi usu nota-  
 vit Cl. Willis l. de Anat. cerebr. c. 20, p. 158.

**XLVI.** Tertio loco jam videamus, quomodo san-  
 guis ad partes debeat adduci. Soler in hujusmodi atro-  
 phia pulsus in parte affecta esse debilis, & minor calor  
 sentiri, ideoque danda opera, ut & calor redeat, & pul-  
 sus quoque solito vigore se ostendat. Si à tumore ali-  
 quo comprimatur vas aut ab osse per luxationes, citra

*Quæcumque poterint  
 juvare ad nervos  
 recuperanda, illu-  
 sione debent adhiberi.  
 Cephalica & spinæ  
 adhibita o poterunt  
 juvare. Et in Angl.  
 ex quibusdam phthi-  
 si nervosâ dicitur  
 ad nervos, qd. obs.  
 4. 23. Præterea,  
 ut observat 4. 23.  
 37. si à dyscrasia  
 vitæ atrophica, duno-  
 fari ne mille cepha-  
 lica juvantur, qd.  
 inflat, qd. nisi solvo-  
 impediat, o amplius  
 paranda. 3. Si ab obstru-  
 ctione in nervo  
 vitæ, sicut in atrophica, duno-  
 fari potest adhibenda remedia, ubi obstru-  
 ctio o. cerebro qd. spinæ juvare, ad partem  
 affum exanimata o phthi-  
 si e.*

causa

*C 3  
 Non in qm pte ubi sensus, sed ubi  
 ad hunc motu, qd. vicinis nervis, m. d.  
 an hinc tendit, qd. dependet.*

*paranda. 3. Si ab obstru-  
 ctione in nervo  
 vitæ, sicut in atrophica, duno-  
 fari potest adhibenda remedia, ubi obstru-  
 ctio o. cerebro qd. spinæ juvare, ad partem  
 affum exanimata o phthi-  
 si e.*



causarum illarum sublationem, vix remedium sperandum est. Si vasa incisa sunt, difficilis quidem curatio, non tamen nulla. Cùm enim varix admodum & multijugæ sint vasorum ramificationes, quibusdam licet abscissis, fluere sanguis per alia potest, & minora successu temporis, adhibitis etiam auxiliis Medicis, dilatari, ut justa redeat inter membrum & sanguinem affluentem proportio. Si versus aliam partem magis fluat sanguis, ducendus iterum in hanc.

XLVII. Sunt autem non uniusmodi illa, quæ hinc & ratio & usus commendat, petunturque cùm ex Chirurgico, tum ex Pharmaceutico fonte. Nisi enim contraindicantia sint, proderit venam quoque partis affectæ secare, cùm hoc modo conciteretur sanguinis in partem motus, non tamen necesse est, ut magna tum sanguinis copia educatur, poteruntque huic fini cucurbitulæ quoque scarificatæ adhiberi. Sine scarificatione verò adhibentur quoque cum successu cucurbitulæ & quidem circa vasa, ut illa diducta liberiores fluxum sanguinis admittant. Fabricius Hildanus in hanc rem adhibuit cucurbitam corneam, quam depingit quoque cent. 1. obs. 81. per quam famulus aliquis sugendo vasa attrahit & diducit. Similem planè adhibuit Tulpius obs. 1. 3. cap. 49. & brachio exsucco aliquoties juxta venarum & articularum cursum apposuit, unde pristinum vigorem recepit. Veteres Picationibus seu Dropacibus in hanc rem usi fuere, medicamenti genere in forma emplastri, quod ex pice arida, oleo, calidisque medicamentis paratum cuti, pilis derasis & sufficienti frictione præmissa, applicatur, & antequam planè refrigerit, avellitur, idque tertia & quarta vice reperitur, donec pars rubescat, ut ita versus superficiem



ficiem corporis sanguis moveatur. At illæ quidem Pica-  
tiones minùshodie usitatæ sunt, sed Frictiones, & quidem  
pannis asperis, frequenter & cum successu usurpantur.

XLIX. Pharmaceutice varia nobis Topica exhi-  
bet, Fomenta, Balnea, Unguenta, Emplastra, Olea, Deco-  
cta. Fomenta & Balnea fiunt ex herbis Chamomilla,  
Calamintha, Pulegio, Hyperico, Iva arthritica, &c. Olea  
laudantur Chamomillæ, Lumbricorum, & à Montano in  
Consil. 384. oleum, cui radices cucumeris sylvestris inco-  
ctæ, Mastichinum, de Costo, de Castoreo, de Euphorbio,  
Lumbrici terrestres in primis hîc commendantur, quo-  
rum succum cum oleo amygd. dulc. miscet pro unguen-  
to Fabr. Hild. C. 1. obs. 80. Cermifonus eosdem in oleo  
lil. alborum coquit, & additis aliis emplastrum efficit.  
Idem renem anatis cum tota ejus pinguedine incidit mi-  
nutim, dein optimè in furno coquit & addit ol. lil. alb. V.  
Ejus Consil. 144. & 145. Ioh. Crato consil. 301. ex Hepate  
vitulino cum foliis Salviæ & rorismarini destillatum facit  
pro partis aridæ inunctione. Fabr. Hild. l. c. decoctum ca-  
pirum, pedum & intestinorum vervecis vel vituli cum  
lumbricis pro fomentatione adhibet. Multa alia apud Au-  
tores commendantur, ex quibus modoq̄ enumeratis eli-  
gere aliquis prudenter optima poterit. Nec negligenda  
quoque sunt lixivia, propter eximiam vim suam jam tum  
commendata Cratoni l. c. mista cum oleo rosaceo. Non-  
nulli etiam emaciata brachia animalibus vivis dissectis,  
calentibus adhuc, ut canibus, vitulis, inseri jubent.

XLIX. Denique partium ipsarum ratio habenda  
est, ut justam suam temperiem & quoad cætera quoque  
constitutionem naturalem habeant. Hoc verò illis ipsis  
remediis, quæ modò laudata sunt, ad sanguinem partibus  
addu-



adducendum, obtineri poterit, dummodo hunc delectum  
habeas, ut, ubi intemperies frigida adest, calida; ubi sicca,  
humectantia adhibeantur. Galenus l. 14. meth. med. cap.  
14. scribit, illis, quibus totum corpus extenuatum est, la-  
vare post cibum, esse idoneum; quem locum egregiè ex-  
plicat Prosper Alpinus lib. cit. de Med. Ægypt. 3. c. 15.  
p. 107. b. ad quem Lectorem remittimus,  
& finimus.

S O L I D E O G L O R I A.

---

**D**um maciem invisam referas, causasque  
latentes,

Quæque paranda illi sit medicina, doces,  
Ingenium ostendis nullo marcore teneri,  
Et tibi doctrinis pectora plena bonis.

*Auditori suo industrio benivolentiæ  
causa scripsit*

HENRICUS MEIBOMIUS.

---

**Q**uæ succos aliis Tabes tenerasque medullas  
Subtrahit, en! laudes nutrit, Amice, tuas.  
Credo, gravem quondam Te nunc Ea prospicit  
hostem,

Et dextræ discit tela timere tuæ.

CHRISTIANUS ESKEN. Bor.













ULB Halle  
003 358 771

3



Sb.

VD17











2214  
1672, 10

O MEDICA

PHIA

A M  
VENTE

SIDE

R I S S I M O

MEIBOMIO

NATOMIÆ PRO-

ARIO, NEC NON

GVELPHICO

OMOTORE, AC MÆ-

EM COLENDO

ORVM EXAMINI

TTIT

US HIERONYMI

NSVICENSIS

T RESP.

IVLEO

NOVEMB.

TADII,  
ULLERI, Acad. Typ.

MDCLXXII.

*Primus Inus Hattenbach,  
meus Honoratissimus, ad hunc  
icum humanissime invitatur à*